



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

xiv [i.e. xi]. Identitas sumpta fundamentaliter, non distinguitur ab unitate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

malis generica fundamentaliter, utpote præbens intellectui fundamentum efficiendi eadem individua unitate extrinseca specifica formali seu universalis. Alia demum est unitas universalis seu rationis, quæ convenit rebus extrinsecè ab intellectu cognoscente res multas per modum unius; hic enim cognoscendo res, quæ à parte rei dividuntur, ut homo & equus, ita confusè, ut vi cognitionis illius sciat quidem, se cognovisse animal, non possit tamen distinguere, an, quod cognovit, sit equus, an homo, facit, ut homo & equus dicantur indivisa per intellectum, seu unum ratione.

XI. IDENTITAS sumpta fundamentaliter & negativè non distinguitur ab unitate; sumpta formaliter relativè ac quasi positivè, superaddit unitati relationem rationis, quâ res unâ bis cognita secùm comparatur, & ad se ipsam refertur. Sic Petrus ante omnem intellectum est secùm idem negativè, id est, non est distinctus à se, est item fundamentaliter idem secùm, id est, dat intellectui causam, ut si illum semel cognitum cognoscat iterum, judicet, esse eundem cum illo, quem ante cognorat; dumquè intellectus eundem ad  
f 3 seip-

seipsum refert, est identitas formalis, seu relatio unius ad seipsum, quæ est relatio rationis, utpote in qua fundamentum & terminus non distinguuntur realiter.

XII. **DISTINCTIO** realis positiva, quæ est inter duo entia positiva ( quorum si utrumquæ sit res, vel etiam utrumquæ sit modus, quorum uterquæ esse potest, quin uniat alteri, dicitur distinctio realis strictè vel realis major, si unum sit modus, alterum res, dicitur realis minor ) non consistit in aliqua entitate rebus positivis superaddita; sublata enim omni entitate superadditâ, adhuc una res non est alia. Distinguitur item una Persona divina ab alia, quæ tamen entitatis superadditæ sunt incapaces. Nequæ etiam consistit in negatione rebus distinctis suo modo superaddita; res enim per hoc distinguitur, per quod constituitur, non constituitur autem per negationem; habetquæ per suam entitatem v. g. Petrus, quod non sit Paulus. Ad hæc, si Petrus distingueretur ab equo per negationem identitatis cum equo, distingueretur ab eo per negationem Chimæræ, seu alicujus impossibilis. Per illud itaque formaliter constituitur distinctio, per quod